








M. Tuscher fecit


BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

ASSERTIONES DE OPERIBVS CHARITATIS ET OFFICIO CVIVSQVE IN sua vocatione, Propositæ in disputationem

A

NICOLAO HEMMINGIO, in Iulio, Anno 1562.



HAFNIÆ,
EXCVDEBAT IOHANNES
ZIMMERMAN,
Augustanus.



1 QVoniam in proximis noſtris aſ-
ſertionibus de bonis operibus in
vniuerſum & eius cauſis diſſeruimus,
hîc libet quoddam certum genus operũ
videlicet charitatis erga proximũ pro-
ponere: quò magis piorum animi per-
moueantur ad charitatis opera ſibi mu-
tuo præſtanda.

2 Hic tria mihi expendenda videntur:
Primum, quibuſnam rationibus impelli
& permoueri quiſq; debeat ad præſtan-
dum proximo ex charitate officium.
Deinde, quæ genera operum charitatis
ſint præcipua. Tum quæ regulæ ſpec-
tentur, ad quas opera proximo præſtan-
da, ſunt exigenda.

3 Etſi autem rectè obedientiæ erga
Deum quintuplex ſtatuitur neceſsitas,
nempe mandati, debiti, fidei, conuerſio-
nis & vitationis pœnarum: Tamen in
hoc certo operũ genere tria vtiliter cō-
ſideranda puto: quorũ cogitatio nos ad
præſtanda proximo charitatis officia im-
pellet, illa autẽ tria hæc ſunt: efficiens,
obiectũ, finis. Effi-



Efficientia tria. Primum, mandatū Dei 4
cui omnes creaturas parêre oportet. De⁹
enim & legē dilectionis impresſit animis
hominū, & ſeriū mandatū edidit. Dilige
proximū tuū ſicut teipſū. Hęc dilectio ſi
vera eſt ex corde ſyncero manat, ore cōp
batur, et opere cū res poſtulat, cōſignatur

Secundum efficiens, eſt fides. Hæc 5
enim, vt Apoſtolus teſtatur, efficax eſt
per charitatē. Nam dū credens donatur
ſpiritu Chriſti, non poteſt fieri, quin pro
natura iſtius ſpiritus ducatur. Quiſq;
etenim ſpiritu Chriſti donatus eſt, Chri-
ſti quoq; affectus quodammodo induit,
hinc Dominus certā ſuorū notā tradi-
dit: in hoc cognoſcēt homines, quòd ſi-
tis mei diſcipuli, ſi vos inuicē dilexeritis

Tertiū efficiens eſt, exemplū Chriſti, 6
nō enim tantū ſpiritu Chriſti ducuntur
fideles, verumetiam intuentur ſuū ducē
Chriſtū & nihil ducunt pulchrius quàm
in omni vita eū tanquā normam quan-
dam uitæ ſibi proponere. Qualis enim
Dominus talis & ſeruus eſſe ſolet.

Huc illud cuiuſdam patris: omnis 7

Chriſti actio noſtra eſt inſtructio. Quod ſanè dictum vt veriſsimum eſt: ita multa abſurda continet, ſi eidem inſtructionis generi accommodetur.

8 Vt itaq; rectè applicari poſsit ad noſtri inſtructionem, illud obiter declarandum duxi. Actio Chriſti eſt triplex. Miraculoſa, piacularis, & moralis. Harum quælibet noſtra eſt inſtructio ſed diuerſimodè.

9 Miraculoſa enim Chriſti actio inſtruit nos de veritate verbi Chriſti, vt eum veracem eſſe ſciamus, non inſtruit nos vt ipſum imitemur agendo. Quis enim poteſt imperio morbos pellere? quis poteſt voce mortuos excitare? quis ſine fame ieiunabit totos quadraginta dies & noctes? qui proinde hoc genus actionũ imitari velit, ſimia potius quàm diſcipulus Chriſti cenſendus eſt: præſertim ſi peculiaris ratio non acceſſerit, vt in Prophetis & Apoſtolis.

10 Piacularis actio, adeo Chriſti eſt propria, vt qui eius vel minimam portionem

nem ſibi vendicauerit, in Chriſtum ſit
contumelioſus. Chriſtus enim ſolus na-
tus & datus eſt nobis, vt ſua piaculari
actione noſtrum peccatum expiet. Im-
pius ergo crudelis & ſacrilegus eſt Pa-
pa, qui ſuos vnctos & raſos miſſando &
cantillando peccatum expiare putat.

Moralis Chriſti actio inſtruit & imi- 11
tationẽ requirit. Vult enim Chriſtus vt
in formanda vita ipſum imitemur. Hinc
illud: exemplũ meum do vobis. Item, di-
ligite vos inuicem, ſicuti ego dilexi vos.

Etſi autem dilectionis mandatum, 12
ſi legem in ſe ſpectes, natum eſt cum na-
tura, & poſtea lege Moſis promulgatũ:
tamen propter formam hanc nouam.
Sicvt ego dilexi vos, à Chriſto
nouum mandatum appellatur.

Quicunq; igitur Chriſtum vt donũ 13
veneratur, debet etiam ipſum vt exem-
plum imitari. Nam qui contrà facit &
dono excidit, & ſe diſcipulum Chriſti
mentitur. Etſi hæc imitatio non in per-
fectione, ſed in conatu poſita eſt.

14 Obiectum charitatis est proximus nostro opere & auxilio indigens. Hic corde, lingua & opere iuuandus est. Ita enim lex dicit: dilige proximũ tuũ &c.

15 Christus interrogatus à Pharisæo quisnam suus esset proximus, pulcherrima imagine respondit, & Pharisæũ (qui tantũ inter proximos numerabat eos, q̃ vel de se essent benemeriti, vel qui alioq̃ aliqua singulari necessitudine essent sibi deuincti, nihil minus statuens quàm alienigenas & nihil de se boni meritos pro proximis habendos) deducit eò vt sponte cõfiteatur quod antea nõ statuit, affirmat enim Samaritanũ q Iudęo saucio opẽ tulit veri proximi officiũ præstitisse.

16 Hinc patet omnem hominem proximũ nostrum agnoscendũ esse, qui nostra ope & auxilio indiget. Etsi societatis seu proximitatis nõ sunt semper ijdẽ grad⁹. Pro quorũ diuersitate uariat non parum obligatio.

17 Duplex enim proximitatis ratio est, vna ẽ naturalis, alia spiritualis. Illa quidẽ nobis cõmunis ęst cũ omnib⁹ hominib⁹,

non ſolũ pijs verumetiã Ethnicis, Turcis & Iudæis. Hæc vero filiorum Dei eſt propria, & magis obligat.

Naturalis illa proximitas tribus cõ- 18
ſtat. Primum enim homo homini proximus eſt ratione creationis. Omnes enim ſimul in vno Adam creati ſumus quantũ quidẽ ad ſubſtantię noſtrę originẽ attinet. Deinde homo homini proximus eſt ratione ſimilitudinis. Nam omnes & homines ſunt, & ad imaginẽ Dei primũ creati. Tũ reſpectu cõmunis vitæ & humanæ ſocietatis in qua vnus alterius opera indiget. In hac vitæ ſocietate multi ſunt particulares gradus partim ex affinitate & cognatione, partim ex ſimilitudine officiorum, partim ex alia quauis neceſsitudine.

Hæc naturalis hominũ inter ſe co- 19
pulatio meritò monere nos deberet charitatis mutuę, id quod etiam Philoſophi ſaniores viderunt. Nam ideo ratione & ſermone præditos eſſe homines docent, vt poſsit alter alteri, quod rectum &

bonum eſſe nouit, ſermone explicare, vt ita mutuis officijs inter ſe coaleſcant ac ſe inuicem iuuent.

20 Spiritualis ſocietas eſt tantum Chriſtianorum inter ſe. Huius quadruplex eſt neceſsitas. Prima eſt regenerationis. Nam ex eodem ſemine verbi diuini nati ſunt filij Dei. Secunda eſt myſtici corporis. Nam membra ſumus vnius corporis, cuius caput eſt filius Dei ſaluator noſter. Tertia eſt vocationis communis qua ad vnitatem ſpiritus in vinculo pacis vocati ſumus. Eph: 4. Quarta eſt futuræ gloriæ & communis hæreditatis cœleſtis, qua vna fruemur in omni ęternitate.

21 Hæc ſpiritualis copulatio & cõiunctio ſatis arguit, quomodo chriſtianos erga ſe inuicē affectos eſſe deceat. Quid pulchrius, quàm filios Dei ſe mutuo amore complecti? quid conuenientius, quàm membra eiuſdem corporis ſe inuicem charitate fouere? quid ſuauius quàm donatos eodem Chriſti ſpiritu

vnani-

vnanimes esse ac studere communi cõ-
modo? quid dignius quam cogitatione
futuræ gloriæ & æternæ societatis cum
æterno Deo & sanctis omnibus, angelis
& hominibus, excitari ad mutuam be-
neuolentiam?

Qui hoc duplici humanæ societatis 22
vinculo, naturali & spirituali, non per-
mouetur, ne hominis quidem titulo est
dignus, nedum christianus dicatur.

Iam spectentur fines operum chari- 23
tatis, qui sunt quatuor. Primus, gloria
Dei. Nam Deus, cum vltro citroq; cer-
tant beneficijs sui filij, glorificatur &
prædicatur. Secundus, refocillatio mu-
tua membrorũ eiusdem corporis. Ter-
tius, ædificatio aliorum, nam cum alij
alios intuentur studiosos esse fraternæ
charitatis, incitantur exemplo. Quar-
tus, remuneratio. Deus enim promisit
remunerationem ei, qui vel haustum fri-
gidæ aquæ dederit discipulo Christi.

Dominus Lucæ 6. quatuor genera 24
operum charitatis, quæ perpetuo pijs in

conspectu esse debent, suis commendare videtur.

25 Primũ est corde non iudicare perperam de proximo, sed candidè potius de ipso sentire, semperq; meliora de ipso sperare. Neq; tamẽ hæc eò pertinent, vt fideles prorsus cæcutiant & nihil discernant inter Paulũ & Neronem, sed tantũ affectũ charitatis postulant, vt fideles amanter affecti erga se inuicem se ipsos frenẽt, & nõ titillẽtur cupiditate in aliena vicia, plusq̃; requirit pietas, inquirẽdi.

26 Secundũ est, ore non condemnare, sed potius benignè de proximo loqui & sine calumnijs omnia in meliorem partẽ interpretari. Hic tamen nec verum testimoniũ contra criminosos ferre, nec sontes ex verbo Dei & legibus iuxta vocationis nostræ rationẽ condemnare, prohibemur.

27 Tertiũ est, peccanti in nos & deprecanti culpam condonare offensam. Ita enim ait Dominus: remittite & remittetur vobis. Huius dicti sensus est, facturũ

esse Dominum, vt qui se facilem humanum & æquum præbuerit fratribus, eandem sentiat erga se clementiam aliorũ, vt benignè & amicè ab ipsis tractetur.

Quartũ, indigentibus fratribus adesse cõsilio & opere: Cõsilio, quoties illis à recta via aberrare contingit: opere aliâs egentibus dando largius eleemosynam, aliâs mutuando hylariter, etiamsi simile officiũ ab ipsis non expectemus. 28

Mutuare enim cum expectatione similis officij, vulgare officium est etiam inter ethnicos & peccatores: quod etsi in se malũ non est: tamen aliquid vltra requirit Dominus ab ijs quos in suam familiam recepit. 29

Regulæ, quas in præstandis operibus charitatis intuebuntur fideles, sunt tres: verbũ, fides, charitas ipsa. Hæ enim tres regulæ modum cõtinent præstandorum officiorum. 30

Verbũ sit hoc, exempli gratia: Bibe aquam de cisternis tuis & fluenta de medio putei tui, fontes tui diriuentur 31

foras,

foras, ſint tibi ſoli & non alienis tecum. Hoc Solomonis dictum tria continet præcepta: Primum de vſu facultatū, videlicet, quòd quilibet debeat ſuis facultatibus vti in ſuum commodum prout ratio ſui ſtatus requirit. Secundū de liberalitate erga indigentes, non vult vt ſolus omnia deuores, ſed vt nonnihil conferas in vſus aliorum. Tertium de facultatum poſſeſsione. Non vult vt ita profundas res tuas, vt ipſe poſtea turpiter egeas ex nimia profuſione ad mendicitatem redactus.

32 Fides intuetur & mandatum Dei & promiſsionem. Mandato quidem urgetur ad charitatis officia fidelis: promiſsione uerò paterna allicitur, ut hilariter præſtet officium quod debet.

33 Charitas mutuis afficitur commodis & incommodis: gaudet cum gaudentibus, dolet cum dolentibus, & membrorum ſympathia quadam ad ſuccurrendum indigentibus & affectis membris excitatur.

Qui-

Quicunque ergo fide præditus est 34
& verbum Dei ueneratur, facile ex cha-
ritatis fonte scientiam hauriet commu-
nicationis mutuæ, & officiorum, quæ
sibi mutuo debent eiusdem corporis
membra.

De vocatione cuiusque.

Etsi autem omnes pij vnam com- 35
munem vocationem habent, nimirum
vt sint ciues regni Dei, Deum cele-
brantes : Tamen vt alia membra eius-
dem corporis alias habent functiones:
Ita in Ecclesia, quæ est in hoc mundo,
aliam alij habent vocationem.

Vocationem autem hic definimus, 36
Legitimam functionem officij alicuius
certæ personæ propriam, vt est vocatio
ad gubernandum, consulendum, docen-
dum, iudicandum, discendum, operan-
dum &c.

In huiusmodi functionibus seu vo- 37
cationibus personalibus, opus est singu-
lari prudentia, ne vel in dextram vel
in sinistram nimium deflectamus: quod

quum

quum ſit, incidimus in iudicium Dei & opus Dei facimus fraudulenter. Quinq; ergo colligam veluti puncta quò quilibet reſpicere debet in ſua vocatione ne aberret.

38 Primum, vocatio habeat verbũ Dei. Non enim poteſt legitimum eſſe de quo verbum Dei non extat, cum ex eo ſolo ſciamus, an vocatio noſtra ſeu functio ſit approbanda nec ne.

39 Vt autem hîc non fluctuet conſcientia, hæc tenenda eſt regula. Omne officiũ faciens ad conſeruandos, iuuandos & ornandos ſtatus à Deo ordinatos, vt œconomicum, politicum, Eccleſiaſticum primo & quarto decalogi præcepto, mandatur. Atq; ideo in ſe legitimum, licitum & ſanctum eſt. Huc ſi acceſſerit iuſta & ordinaria vocationis deſignatio, fit etiam officium legitimum perſonæ reſpectu, & præterea cultus Dei in conuerſis. Requiritur proinde vt vocatio ſit legitima & ratione officij præſtandi & reſpectu perſonæ officio fungentis.

Secun-

Secundum, sint actionum in vocatio- 40
ne regulę fides & charitas, fides quidem Deũ respiciat, moneatq; ne quis vel in officio cõmittat quo gloriam Dei lędat: vel omittat quod requirit officij ratio: vel faciat segniter, quod vocatio requirit. Charitas vero proximum intueatur, moneatq; ne quis alteri sit iniurius. Hoc est, ne vel curiosè aliena inquirat suo neglecto officio: vel inuideat ijs qui fortũnaciores & præstantiores videntur: vel cõtemnat eos, quos se inferiores putat, seu qui viliorem vocationem videntur adepti quàm ipse: vel dolo vllo aut fraude circumueniat proximũ in officio & vocatione: vel sit πλεονέκτης quouis iusticiæ aut iuris titulo: sed potius requirit charitas vt in sua quilibet vocatione maneat quietus & propria agat, adeoq; omnia referat ad vinculum sanctæ societatis.

Tertium, perpetuò respiciatur ad 41
verbũ quo nititur cuiusq; vocatio. Hinc enim, si quid aduersi inciderit, cõsolatio petenda est.

42 Quartum, vocatio ſemper ad gloriam Dei & vtilitatem reipublicæ in qua quis viuit, referatur. Hinc enim ſuauiſsimus percipitur fructus, videlicet tranquilla & bona conſcientia.

43 Quintum, fœlix in vocatione ſucceſſus tribuatur ſoli Deo, & ab eo expetatur. Is enim cum manum applicat, iucundiſſimus percipitur laboris fructus. Hinc moneatur vnuſquiſque vt ſemper leuatam ad Deum mentem habeat, à quo petat ſucceſſum.

44 His iactis fundamentis non ſolum diligentia in vocatione creſcit, uerumetiam profana & ethnica cura abijcitur. Nam cum Deus ſtatuitur σύνεργος noſter, facile ſpes concipitur ſalutaris euentus.

